







PARTITIONVM  
Theologicarum

DISPUTATIO XXV.

De

CRUCE ET  
CALAMITATIBVS  
ECCLESIAE,

*In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wittebergensi proposita*

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI  
Professore publico:

*Respondente*

JACOBO FEDER: Uratislaviensi  
Silesio.

*Ad diem 6. Decemb. Horis locoq; consuetis.*

Sumptibus Clementis Bergeri  
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.





\* ADsit nobis oMnibVs gratia Chrlsti. \*

Quâ auspice nunc

## V I R O S

*Reverendâ dignitate; præclarâ pietate; Orthodoxâ Religionē;*

*Exquisitâ Eruditione; Virtutum splendore; Musarumq;*

*Honore EMINENTISSIMOS,*

Dn. NICOLAVM POLIUM;

Dn. JEREMIAM MOLLERVM;

Dn. M. JOACHIMUM FLEISCHERUM;

Dn. M. JOHANNEM FRIDERICUM; Namslaviensem

*Pro Tempore apud Breslaos*

Ovium CHRISTI Pastores; Verbi Divini Interpretes,

Mysteriorumq; divinorum Administratores,

*Ut dignis. itâ & vigilantiss. ac Fidelissimos.*

ITEM

Clarissimum & Honoratissimum

Virum,

Dn. JOHANNEM KREUTZMANNUM, PATRICIVM

Medicæq; Artis Doctorem Florentissimum,

UT ET

*Prudentiâ, Amplitudine, Vita & Fidei Integritate, Rerumq; varia-*

*rum Usu atq; Experienciâ conspicuos, ac Laudatissi-*

*mos Viros,*

Dn. LUCAM Döring; Laudatiss. Tribus Zythopol. Senior.

Dn. BALTHASARUM Rheil; Chyrurgum Ordinarium.

Dn. JOHANNEM Laur; Affinem suum.

Dn. CHRISTOPHORUM Weckel; Consanguineum suum;

Et Dn. JOHANNEM Paull / Negociatorem præcipuum.

CIVES VVRATISLAVIENSES omni

*Laude & Honore Dignissimos;*

Dominos ac Fautores suos

Exoptatissimè delectos,

Observantissimè verò dilectos.



PRÆSENTI THEOLOGICA *Συζηήσεις;*

&

*Humili hac προσφωνήσας*

HONORAT

R E S P O N D E N S



ES loquitur; variis Fatis ECCLESIA  
CHRISTI

Hic graviter premitur, multiplexq;  
CRUCE;

At non opprimitur sub tot tantisque pro-  
cellis,

Quas Satanas, Satanae gensq; maligna parant,

Cum primis Pellex Babylonica, Gensq; Suita,

Et Calvinicolum perniciofa cohors.

Sed veluti Virtute sua super æthera PALMA

SURGIT, cum premitur pondere, Vive gravi.

Sic etiam surgit; caput inter Nubila condens

Sanguine Gens roseo purificata DEL.

Surgit ovans, felix & vincit robore firmo

Nempè PRECUM rigida Pondera quæq; CRU-  
CIS.

Explicat ut satis hanc Rem DISSERTATIO præ-  
sens,

Augustè Orâclis condecorata sacris.

Quam iussit PIETAS VOBIS sacrare PATRO-  
NIS,

VOBIS quos PIETAS RELIGIOq; beant.

A 2

Ergò,

Ergò, Fide plenam, plenam Solaminis omnis,  
Sumite Materiem, congeriemq; Sacram.  
Sumite quam VOBIS ductus pietatis Amore  
Mancipat Ingenuo pectore, jure, CLIENS.  
Sumite, sed facili vultuq; manuq; CLIENTI  
Et VESTRO dextrè (quæso) favete diu.  
Sic VOS CHRISTVS amet cunctis in Rebus; &  
Ipsâ  
Sub CRUCE solamen, non nisi Juge, dabit  
Nempè quod emeruit, fieret cum Victima CHRISTUS.  
In CRUCE grata DEO, qui regit astra, PATRI.  
Cui vos commendo, cum voto, vivite CHRISTO,  
Et spartam vestram condecorate piè.  
Vivite, sed faustos OMNES superate tot Annos,  
ALES sole fatus quot superare solet, &c. Valetè.

*F. Iacobus Felder Bresla-Siles-*



Σ Κ Ι Α Γ Ρ Α Φ Ι Α

Sive

Adumbratio

Huius Disputationis

DE

# E C C L E S I Æ

CRUCE ET CALAMITATIBVS.

1. Proponitur:

Efficientem.

Defini-  
tione:

Exter-  
nas:

Finem:

Alius respectu Dei

Ipsorum fidelium

qui est qui sunt sub cruce:

Alius respectu

Piorum:

hominū Aliorū

Impiorū.

1. Essen-  
tia &  
natura:  
qua ex-  
plicatur  
partim

2. Resolvi-  
tur in cau-  
sas

Internas { Materiam:  
Formam.

Publicam:

Subiecti

in { Primam  
Privatam:

Internam:

Deinde in

Externam.

Divisi-  
ve: divi-  
ditur  
vel ra-  
tione

Universales:

Τιμωρίας: que vel

Particulares: { ὁμοειρη-  
ματα:

qua vel { ὑπερτα.

Finis: Et

sunt cala-

mitates vel

Δουλοσίας:

μαρτηρίας:

Quibus additur λότρον.

Patiendo:

Agnoscendo peccata:

2. Quomodo illa  
ferenda:

Agendo:

Consolationes firmas

1. Loci ex quibus consola-  
tiones sumuntur.

nempe

arripiendo: ubi con-


siderantur

2. Effectus.

Essentia & natura: qua explicatur partim

Divise: dividitur vel ratione

2. Quomodo illa ferenda:



## DISPUTATIO XXXV.

De

Cruce & Calamitatibus  
ECCLESIAE

CONTINUATIO.



*Upra disputatione XXXII. divisimus EXERCITIA ECCLESIAE in ACTIVA & PASSIVA. De Activis, nempe Pœnitentiâ, Bonis operibus, & Oratione sive precatione egimus hæctenus; Consequens est, ut Passiva quoq; videamus, quæ sunt Crux & Calamitates Ecclesia: His enim necessario omnes pij & Christiani exercemur, quippè qui (attestante Apostolo Rom. 8. v. 29.) divinitus prædestinati sumus, ut conformes fiamus Imagini FILII DEI, qui contumeliosissimum Crucis supplicium nostri causa pertulit. Quocirca tene- mur abnegare nos ipsos & tollere crucem quisq; suam, & ita CHRISTVM sequi; Matth. 16. v. 24. Immediatè verò Doctrinam de Cruce Precationis Theoria substituimus; quod ple- rumq; se mutuò comitentur, & sine eâ preca- tio frigeat.*

THE



## Thesis I.

**V**T autem & hic ordine progrediamur; videbimus primū quæ sit Crucis piorum Essentia & Natura; deinde quomodo illa sit ferenda.

2. Essentia & natura consideratur & explicatur partim definitivè, partim divisivè.

3. Definitio primum proponenda; Deinde resolvenda est. Est igitur Crux omnis generis calamitas & afflictio, Pius in hoc mundo à Deo propitio paterno planè affectu, imposita, ut imagini Salvatoris, pro nobis Crucifixi, aliquo modo conformes reddantur.

4. Definitio causalis est, resolvatur igitur in causas externas, efficientem & finem; & deinde internas, materiam & formam.

5. *Causa efficiens* calamitatum piorum non est fortuita, licet sæpè numero illæ casu & temerè contingere videantur: Sed est ipse DEVS. Quemadmodum enim nobis Christianis, divino prælucente verbo certissimè constat, omnia in toto hoc universo Providentiâ DEI gubernari; ita vel imprimis certi sumus crucem nullo alio, quàm DEO gubernante, immitteri.

6. Quanquam enim Diabolus quoq; & ejus organa sive membra sæpius pios gravissimè affligant: quia tamen sine permissione divinâ, ne quidem capillum capitis incurvare valent, ideo hæc ipsa *Crux* & *Calamitas* efficaciter à Diabolo proficiscens, certo quodam modo in scripturis DEO adscribitur, *Gen. 45. v. 5. 2. Samuel. 16. v. 10. 2. Sam. 24. v. 1. Ioh. 1. v. 21.*

7. Quamvis igitur crux hæc (nempe efficaciter à Diabolo & Organis ejus pendens) suâ naturâ sit mala: Sapientissimus tamen & misericors Deus noster, ἀγαθὸν ἀδὲν ἄρῳ redigendo, diligentibus ipsum cooperatur in Bonum, ut non sit maledicta.

8. Quemadmodum enim peccatum in fidelibus tollitur, non quidem ut non sit, sed ut non imputetur; Ita malum pœnæ in piorum cruce tollitur, non ut non sit, sed ut non sit maledictio.

9. Atq;

*Crux piorum quid sit.*

*Definitio-  
ni ἀνά-  
λογοῖς.*

*Causa ef-  
ficiens.*

9. Atq; hoc est, quod in Definitione diximus, *Calamitates infligi à Deo mero affectu paterno*. Rectè enim cum Augustino, in Psal. 98. Bonitatem Dei agnoscentes dicimus: *Cum blandiris, Pater es; cum cedis, Pater es; blandiris, ne deficiam; cedis, ne peream.*

*Causa finalis.*

10. *Fines autem & causæ, propter quas, Deus pios calamitatibus exerceat, variæ sunt. Quædam dantur respectu ipsius Dei; Quædam respectu hominum.*

*Fines respectu Dei.*

11. Respectu Dei præcipuè duæ recensentur causæ. 1. Quia ita ipsi complacuit, ut conformes fiamus imagini Filij sui, ut ei compatibles, cum ipso quoq; glorificemur: *Rom. 8. v. 17. 29. I. Pet. 4. v. 12.* Atq; hic finis & causa quia primaria est, & cæteras omnes ferè in se complectitur, illam Definitioni inferere voluimus: 2. Quia in Cruce per Liberationes admirandas, de suâ præsentia, dilectione & omnipotentia testari voluit.

*Fines respectu fidelium qui calamitatibus premuntur.*

12. Homines, quos Deus respicit in Calamitatum immissionibus, sunt vel ipsi Dij, qui illis premuntur, vel sunt alij.  
13. Respectu ipsorum fidelium Tres dantur Causæ. 1. Quia sunt Piorum afflictiones interdum *περὸ φουλακτικὰ* quædam, quibus ipsorum Corda adversus peccata muniantur, & mala futura præcaveantur: Unde dictum, *παθήματα, μαθήματα*, *Psal. 119. v. 71. Es. 26. v. 9. Ierem. 31. v. 18. I. Pet. 4. v. 1. I. Cor. 11. v. 32.* 2. Quia Calamitatibus pij de peccatis præteritis admoniti, illa profundius agnoscunt, & ad veram Pœnitentiam instigantur & inflammantur. *Mih. 7. v. 9. 2. Sam. 12. v. 10. Psal. 119. v. 71. Esa. 28. v. 19.* 3. Quia illis ad fidem quoq; præces, & Vitæ novitatem tanquam calcaribus, excitantur. *Psa. 119. v. 71. Es. 28. v. 19.*

*Fines respectu aliorum piorum.*

14. Alij sunt vel pij, vel impij. Respectu piorum: Ut de Veritate Evangelij tot afflictionibus & Martyrijs confirmati, reddantur certiores, aut liberatorum Exemplis solatio erigantur.

*Fines respectu impiorum.*

15. Respectu impiorum: ut ex Calamitatibus piorum suæ olim futuræ ultionis gustum capiant, *I. Pet. 4. v. 17.* Si enim  
Judicium

Judicium à nobis incipit, quis erit finis eorum, qui non obtemperant Evangelio Dei. *Hassenreiff.*

16. Cæterum prior causa interna est *materia*, quam hinc subiectum exprimit, quod constituunt pii. Siquidem hi soli cruce illa exercentur. Premuntur sanè nonnunquam etiam impii eadem afflictione, utpote peste, fame, bello, incendio: Verùm ingens inter utrosq; discrimen occurrit, de quo jam dicemus.

17. Posterior est *Forma*. Quia verò *forma dat essentiam rei*; Sequitur si essentia simplex aut multiplex, quod etiam formalis sit. Atqui infinitæ ferè dantur Calamitatum varietates, Ergò & formarum: quarum tamen hæ ferè passim ab Apostolis recitantur.

1. Invidia Diaboli, 1. Pet. 5. Eph. 6. 1. Ioh. 5. Apoc. 12. 2. Ignita ejustela, Eph. 6. 3. Terrores conscientia, 2. Cor. 7. 4. Stimulus per carnem, nuncius Satanæ. 2. Cor. 12. 5. Infirmities & anxietates, *ibid.* 6. Cura & sollicitudines. 2. Cor. 11. Labores, molestia, vigilia, fames, sitis, jejunia, frigus, nuditas. 2. Corin. 6. & 11. 1. Corin. 6. Rom. 8. 7. Omnis generis pericula, 2. Cor. 11. 8. Haberi pro stulto, contemptum esse, incertis vagari sedibus, laborare propriis manibus, malè audire, conviciis affici, persecutionem pati, haberi pro excrementis mundi & omniū rejectamentis, esse spectaculum mundo, colaphis cædi, haberi pro morti addito. 1. Cor. 4. Rom. 8. 1. Pet. 2. 9. Morbi, 2. Cor. 1. 10. Ignominia, convitia, haberi pro impostore, pro ignoto, pro dolente, pro pauperrimis & miserrimis inter omnes homines. 2. Cor. 6. 11. Verbera, Plagæ, 2. Cor. 6. & 11. 12. Cædi virgis. 2. Cor. 11. Act. 5. 13. Includi Carcere. 2. Cor. 6. & 11. *item in Actis passim.* 14. vinculis constringi, 2. Timoth. 2. Ephes. 3. 15. Naufragium agere in profundo. 1. Cor. 11. 16. Lapidari, 2. Cor. 11. Act. Apostol. 7. 17. Capite truncari. Act. 12. 18. Spoliari suis bonis Hebr. 10. 19. Exilia Act. 13. *item* 18. 20. Interfici, Iacob. 5. & c.

18. Cæterum ex hisce enumeratis causis, facile corollarii loco colligitur & intelligitur, quid discriminis sit inter calamitates *piorum & impiorum*. Primum enim impiis afflictiones proprie

specu impiorum.

Materia  
sive subiectum  
calamitatum.

Forma  
calamitatum  
multiplex.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16. 17. 18.

19. 20.

Discrimen  
inter

calamitates  
piorum

& impiorum.

B

priè sunt pœnæ scelerum & vitiorum, quibus sese polluerunt: piis verò duntaxat paterna castigatio.

19. Deinde impiis tanquam flagella à DEO irato, fidelibus quasi virga à Deo propitio infliguntur.

20. Tertio impiis afflictiones in interitum, piis in Bonum cedunt. Unde etiam hi DEUM sub cruce celebrant. *Iob. 1. v. 21. Act. 5. v. 41. 1. Pet. 1. v. 7. Illi fremunt, 1. Sam. 28. v. 15. Pii inde probantur & erudiuntur 1. Pet. 4. v. 12. Psal. 119. v. 71. Impij confunduntur & desperant 1. Sam. 30. v. 4.*

*Cruce neq̄  
peccatoru  
pœna neq̄  
expiatio  
est.*

21. Piorum itaque Crux propriè non est peccatorum pœna: Ergone illorum expiatio? Falsissimum id commentum est Pontificiorum. Quandoquidem solius Christi officium est expiare peccata, *Psal. 69. v. 5. Es. 53. v. 5. Matth. 20. v. 28. 1. Tim. 2. v. 6.* Habet nihilominus DEUS suos fines, propter quos fideles afflictionibus subjiciat: quorum præcipuos modò enumeravimus.

*Divisiones  
cruce.*

22. Cæterum dividitur Crux vel ratione subjecti, vel ratione finis.

1.

23. Ratione subjecti, nempe Personarum, bifariam. 1. in publicam & privatam. 2. In internam & externam.

*Cruce pu-  
blica.*

24. Publica Crux est Calamitas quâ tota affligitur Ecclesia, ut annonæ Caritas, Bellum, Pestis, &c.

*Privata.*

25. Privata est, quâ personæ certæ privatim exercentur, ut paupertas, morbus, persecutio privati hominis, &c.

*Interna.*

26. Calamitas interna est, quâ animus affligitur. Externa, quâ corpus præcipuè exercetur.

*Externa.*

2.

27. Ratione finis Calamitates piorum dividantur in tria genera. Quædam enim sunt τιμωρίαι, quædam δοκιμασίαι, quædam μαρτύρια.

*1. τιμω-  
ρίαι.*

28. Τιμωρίαι sunt pœnæ Peccatorum, ut exilium Davidis. Dicuntur autem ita à custodia vel conservatione honoris, quod tueantur dignitatem & auctoritatem ejus, in quem peccatum est, ne animadversio prætermissa ejus contemptum pariat.

29. Hæ

29. Hæ subdividuntur in universales & particulares.

30. Universales totum genus humanum ex æquo tangunt, *Universales.*  
*Syrach. 41. v. 1. Genes. 3. v. 17. Psal. 39. v. 10. 11. 12. Psal. 90. vers. 7. les.*

*Rom. 5. v. 12.*

31. Particulares dividi possunt in *παρδειγματα* & *υπερθεσιας.* *Particulares.*

32. *παρδειγματα* sunt supplicia facinorosorum hominum, qui suis factis digna sortiuntur præmia, ut cæteri à similibus peccatis metu cognitæ pœnæ deterreantur. Sic DEUS, *Num. 25. v. 15.* Principes populi *παρδειγματιζεται* aliorum exemplorum & terrori jubet ad Solem suspendi. Quæ autem pœnæ, quia facinorosorum sunt, propriè huc non pertinent.

33. *υπερθεσιας* sunt paternæ castigationes, quibus sancti afficiuntur, & propriè hujus sunt loci. *Ierem. 30. v. 11. Thren. 1. v. 14. Esa. 38. v. 15. Iohan. 5. v. 14. Hebr. 12. vers. 7. I. Corinth. II. v. 32.* *υπερθεσιας.*

34. *δοκιμασιας* sunt probationes fidei & exercitia spei Christianæ, incitamenta invocationis, materia exercendæ Pœnitentiæ, humilitatis & Obedientiæ erga DEUM, aliarumq; pulcerrimarum virtutum, ut homo in omni bono proficiat. *Psal. 77. v. 3. 45. Rom. 5. v. 4. I. Pet. 1. v. 7. Eccl. 2. v. 5.* *δοκιμασιας.*

35. Desumitur metaphora à metallicis & aurificibus vel fabris aurariis, *Psal. 66. v. 9. Zach. 13. v. 9.* Quemadmodum enim aurum examinatur igne: ita omnes pii flammæ tentationum probantur, *Syr. 2. v. 5. I. Pet. 1. v. 7. Sap. 3. v. 6.* Pertinet huc Jobi & Tobiz Historia. *Iob. 1. v. 19. Tob. cap. 2. v. 12. & 12. v. 13.* Carcer Josephi, *Genes. 39. v. 20. Psal. 105. v. 19.* Lucta Syrophenissæ, *Matth. 15. v. 28.*

36. *μαρτυριας* sunt supplicia sanctorum, quibus Doctrinam ac veritatem Evangelii obsignant & confirmant. Talia supplicia sunt Prophetarum, Apostolorum, & aliorum. *3. Martir.*

& aliorum sanctorum Martyrum, quorum aliquot millia ob Christiani nominis confessionem trucidati sunt, & etiam nū hodie trucidantur.

4.  
λύτρω.

37. His addunt adhuc quartum, nempe λύτρω, quod est satisfactio pro nostris peccatis, qualis est solius Filii Dei obedientia in omnibus afflictionibus suis & morte, præstita pro nobis, cum ira æterni Patris in ipsum esset derivata.

Vox λύ-  
τρα plu-  
ralis nu-  
meri tan-  
tum singu-  
lariter u-  
surpatur.

38. Hæc igitur satisfactio unica est, non multiplex. Quo- circa licet vox λύτρα videatur esse pluralis numeri tantum: Matthæus tamen Evangelista cap. 20. v. 26. & Marcus 10. v. 45. illam merito ad singularem numerum reduxerunt: FILIUS HOMINIS non venit διακονηθῆναι, ut sibi ministraretur; ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτῆς λύτρω ἀντὶ πολλῶν: sed ut ipse administraret, & daret animam suam in precium redemptionis pro multis.

Calami-  
tates fe-  
runtur.

39. Cæterum sequitur nunc altera questio, hic consideranda, nempe quomodo calamitates sint ferenda, nempe patiendo & agendo.

1. Patien-  
do.

40. Patiendo: Ut voluntati divinæ nos patienter subjiciamus, & in silentio ac spe liberationem ac mitigationem firmiter expectemus, juxta Consilium Dei, ut Psal. 27. v. 27. dicitur. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta Dominum. Item, Commenda Deo viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet, Psal. 37. v. 5.

2. Agendo.  
1. Agnos-  
cendo  
peccata.

41. Feruntur Calamitates Agendo dupliciter: 1. Quando agnoscimus peccata nostra, & iram Dei, quam peccatis nostris provocavimus, simulque per Mediatorem JESUM CHRIS- TUM confugimus ad DEI misericordiam & iram deprecamur, Psal. 51. v. 5. Iniquitatem meam agnosco, & peccatum meum coram me est semper: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, Psal. 6. v. 2. Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in irâ tuâ corripias me. v. 5. Salvum me fac propter misericordiam tuam. Dan. 9. v. 5. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus.

2. Conso-  
lationes  
firmas ar-  
reipiendo.

42. 2. Quando consolationes firmas ex promissionibus divinis arripimus, & his ipsis animum erigimus, Psal. 119. v. 92. Nisi Lex tua consolatio mea fuisset, periissem in afflictione mea.

43. Circa

43. Circa consolationes hasce duo considerata veniunt:  
1. Loci, ex quibus consolationes hauriendæ. 2. Earundem effectus.

44. Loci isti ex verbo DEI sunt sumendi, secundum illud Davidis Psal. 119. v. 92. *Nisi, Domine, Lextua consolatio mea fuisset, periissem in afflictionibus meis.* Dantur autem generales tres:  
1. DEUS ipse, 2. Nostra afflictorum persona, 3. Calamitates, 4. Exempla.

45. Ex ipso DEO sextuplex sumitur consolatio. 1. Quod certi simus, nos non casu affligi, sed sciente, permittente, disponente & volente DEO, ut Matth. cap. 10. v. 30. dicitur: *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt & nullis ex eis cadit in terram, sine voluntate Patris vestri celestis.* Item, in IPSO vivimus, movemur & sumus, Act. 17, v. 28. Et Petr. Epist. 1. c. 3. v. 17. & cap. 4. v. 19. inquit, *Electos pati secundum voluntatem DEI, in quam etiam CHRISTVS ipse & omnes Christiani se remittunt, quando in Cruce & Calamitatibus ad DEVM PATREM conversi ajunt: Fiat voluntas tua in caelo & in terra, Matth. 6. v. 10. non mea sed tua voluntas fiat. Luc. 32. v. 42. Domini voluntas fiat. Act. 21. v. 14.*

46. Deinde quod Crux à Patre propitio & per Christum reconciliato immitatur. Nam juxta illud Mantuani Ecl. 1. v. 131.

*Sit licet in Natos facies austera J E H O V A,*

*Aequa tamen semper mens est, & amica voluntas.*

Qui versus ex Iobi cap. 10. v. 12. desumpti videntur. *Viram & misericordiam fecisti mecum, & visitatio tua custodit Spiritum meum. Ac licet hac celes in corde tuo, tamen scio, quod illorum memineras.* Videatur quoque Esa. 27. v. 4. 5. 7. & 8. Jerem. 3. ver. 20. Thren. 3. v. 33. Ose. 11. v. 8.

47. Tertio: Quod sciamus DEUM certos suos habere fines, eosque nobis maximè salutare, imò necessarios, propter quos velit Ecclesiam dilectam suam sponsam, esse cruci subjectam, Rom. 8. v. 28. Ioh. 9. v. 3. item 11. v. 4. & 21. v. 19.

B 3

48. Quarto

Loci ex quibus consolationes hauriendæ tres.

1. Deus ipse, unde sextuplex consolatio.

2.

3.

48. *Quarto*; Quod certi sumus, Deum, utpote fidelem, non imponere crucem graviolem, quam portare possimus, ac gravitatem ejus, cum viribus nostris æqua lance pensitare, ut sibi ipsis respondeant, I. Corinth. 10. v. 13. Iohan. 16. v. 22. Esa. 54. v. 7. Luc. 11. v. 13.

49. *Quinto*; Quod certo statuamus, nos non solos esse sub Cruce, sed DEUM Patrem, CHRISTUM Salvatorem, & S. S. Paracletum nobis præsentissimum habere, Psal. 23. v. 4. & Psal. 91. v. 15. & 34. v. 19. Esa. 43. v. 12. Iohan. 14. v. 18.

50. *Sexto*. Quod certissima nos foveat Spes catastrophes & optatæ liberationis, quæ tandem tristissima quæque lætis permutabit. Huc pertinent dicta & testimonia, Psal. 30. v. 5. *Momentum ira eius, & vita deletur; ad vesperam demorabitur fletus, ad matutinum letitia.* Item, v. 11. *Convertisti planctum meum in gaudium, concidisti saccum meum, & circumdisti me lætitiæ:* Psal. 91. v. 15. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* DEUS habitat cum contrito & humili Spiritu, ad vivificandum Spiritum humilium, & ad vivificandum cor contritorum. Esa. 57. v. 15. & Jerem. 31. v. 13. *Convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos & lætificabo à dolore suo.* Et CHRISTUS inquit, Iohan. 16. v. 20. & 22. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, & gaudet cor vestrum & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

*Liberatio-  
nis gradus  
tres.*

51. Liberationis hujus modi sive gradus tres numerantur. *Primus* est, Quando DEUS misericors crucem internè mitigat & lenit, ut piis gravis non sit, vel saltem illam sufferre possint. Huc pertinet illud Psalmi 68. v. 19. *Onus imponit nobis DEVS, & tamen est salus nostra.* Item, I. Corinth. 10. v. 13. *Fidelis est DEVS, qui non patitur nos tentari supra id, quod potestis, aut ultra vires, sed faciet cum tentatione provisionem, ut possitis sustinere.*

52. *Secundus*



§2. Secundus est. Quando DEUS Crucem & calamitatem nostram non tantum mitigat, verum etiam plane tollit & avertit, eamque prospero & felici statu compensat. Novit enim DOMINUS eripere pios e tentatione. 2. Pet. 2. v. 20. Et post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymas ac fletum, nos gaudio perfundit, Tob. 3. v. 22. Ita liberatus est Jobus, quando pristinae sanitati restituebatur, & dupla facultatum portione augebatur. Job 42. v. 10. Sic Josephus nil tale opinans ex Carcere, & Israëlitæ e captivitate Babylonica eripiebantur cum summo gaudio & gratiarum actione, uti intelligitur ex Psal. 126. v. 1. Cum liberaverit DOMINUS captivos Zion, erimus sicut somniantes. Tunc replebitur risu os nostrum & lingua nostra exultatione.

§3. Ultimus est, Quando DEUS plenam instituit liberationem, placida morte nos sopitos omnibus periculis subducendo, & in Regni cœlestis consortium transferendo: juxta illud 2. Timoth. 4. v. 18. DOMINUS liberabit me ab omni malo, & salvum faciet in regnum suum cœleste: & Philip. 1. v. 23. Cupio dissolvi & esse cum CHRISTO.

§4. Ex nostra quoque afflictorum persona. Sextuplex sumitur consolatio. I. Quando memores nostræ pravitatis, agnoscimus longè graviora nos promeritos esse. Psal. 119. v. 137. Iustus es, DOMINE, & rectum iudicium tuum. Item 143. v. 2. Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

§5. Deinde Quando recordamur, nobis nihil insoliti accidere, cum ad crucem ferendam vocati simus à DEO 1. Pet. 2. v. 21. Siquidem in hoc vocati estis. 1. Pet. 4. v. 12. 1. Thes. 3. ver. 3. Charissimi, ne miremini, dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum vestri sit; perinde quasi novum quid vobis obtingat: imò in hoc quod consortes estis Afflictionum, gaudio. Item: Ipsi nostis, nos in hunc usum, scilicet ut patiamur cum CHRISTO, positos esse. 2. Timoth. 2. Omnes qui in CHRISTO IESU pie vivere volunt &c.

§6. Tertiò

II. Locus consolationum: Nostra afflictorum persona.

I. 1  
2.

3. 56. Tercio solatur nos Bonitas conscientiae, si non ut scelerati, sed ut Christiani affligamur. 2. Cor. 1. v. 12. *Hac est gloria vestra (in afflictionibus) Testimonium Conscientiae vestrae*: confer. 1. Tim. 1. v. 5. 19. & 1. Pet. 4. v. 16.
4. 57. Quarto solatur nos, quod in ejusmodi calamitatibus conformes reddamur Christo. 1. Pet. 2. *Quoniam & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequemini vestigia eius*, 1. Ioh. 3. Rom. 8. 1. Tim. 6. 2. Tim. 3. Hebr. 12.
5. 58. Quinto: Quod amplissima praemia in hac & futura vita recepturi sint ij, qui propter Justitiam & confessionem patiuntur. 1. Pet. 3. *Si quid incommodi acciderit, propter Iustitiam, beati tamen estis*, ibid. c. 4. *In hoc quod consortes afflictionem Christi, gaudeate, ut in revelatione quoque gloriae eiusdem gaudeatis exultantes, &c.*
6. 59. Sexto: Quod scimus nos per Fidem Justificatos, habere remissionem peccatorum, & esse in gratia DEI, licet externis calamitatibus exerceamur Rom. 8. v. 33. *Quis accusabit electos Dei, Deus est, qui Iustificat: quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est. & v. 37. Sedn his longe vincimus propter eum, qui dilexit nos.* Certus enim sum, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque futura, neq. fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Charitate DEI, quae est in C. I. D. N.
60. Ex ipsis calamitatibus triplex sumitur consolatio. *Pri-*  
 III. Lo- *mam suppeditat finis, qui optimus est: juxta illud Psalmi 119. v.*  
 cus conso- *71. Bonum est mihi, Domine, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes*  
 rationum *tuas. Rom. 5. v. 3. Gloriamur etiam in tribulationibus, scientes, quod*  
 calamita- *tribulatio patientiam operetur: Patientia autem probationem: Probatio*  
 tes ipsa. *vero spem; Spes autem non confundit, Ibidem cap. 8. v. 18. Sci-*  
 1. *mus quod diligentibus Deum, omnia cooperentur in bonum.*  
 2. 61. Alteram, brevitatem afflictionum vitae praesentis, & Spes  
 ultimae liberationis ac gloriae futurae in vita aeterna, Psal. 30. v.  
 6. *Momentum ira eius, qui vita delectatur, vesperi durabit fletus, & ma-*  
 ne Letitia. Rom. 8. v. 10. *Existimo afflictiones praesentis temporis non*  
 compa-

comparandas esse ad gloriam futuram, quae revelabitur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17. Momentanea levitas tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur. Confer 1. Petri Epist.

61. 1. Rom. 8. Hebr. 10.

62. Tertiam, poena persecutorum Ecclesiae, nempe quod Deus illos in hac & in altera vita sit puniturus. Nam Petrus

1. Epist. c. 4. dicit, eos, qui affligunt pios, reddituros esse rationem ei, qui paratus est ad iudicandum vivos & mortuos. Idem Epist. 2. c. 2. ab exemplo diluvij & Sodomorum infert, Deum nosse Loth e tentatione eripere, & iniustos in diem iudicii puniendos reservare. Sic Johannes Apoc. 6. elegantem imaginem proponit de animabus propter DEI verbum interfectis, super altari expetentibus vindictam: Quibus respondetur, ut requiescant adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum qui interficiendi essent, sicut & illi.

Et Apocal. 13. dicitur, Deum eos, qui in captivitatem pios duxerint, vicissim in captivitatem ductum iri: & qui gladio occiderint, gladio occisum iri. Confer Apocal. cap. 16. 19. & 20. 1. Thess. 2. 2. Thess. 1. Et

Iacobus Apost. c. 5. a poenis persecutorum consolatur pios.

63. Tandem exempla sunt, I. Ipsius CHRISTI Salvatoris nostri, 1. Pet. 2. Quoniam & CHRISTUS afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum: Et Johannes ab exemplo Christi argumentatur. Ille posuit animam suam pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. Joh. 3. Matth. 10. v. 24. Non est discipulus supra Magistrum. Rom. 8. v. 29. II. Omnium sanctorum.

Act. 14. v. 21. Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.

64. Caeterum Effectus harum consolationum est. 1. Tranquillitas cordis acquiescentis in DEO. 2. Patientia Christiana, quae est obedire DEO in ærumnis sustinendis, ita, ne, vel a Deo deficiamus, vel illi irascamur, vel contra alia Dei præcepta aliquid committamus, sed moderemur animi dolorem, auxilium & mitigationem à Deo expectantes.

65. Ut verò multiplicis illius consolationis unà cum hisce

A fructibus

3.  
IV. Lo-  
cus conso-  
lationum:  
Exempla  
I.

2.  
Effectus  
harum con-  
solationum.  
I.  
Tranquila-  
litas cor-  
dis.  
2. Patien-  
tia Chri-  
stiana.



fructibus participes efficiamur, peccata nostra seridè agnosca-  
mus, ac verà fiducia ad ardentem Numinis divini precationem,  
tanquam ad sacram anchoram, confugiamus, de qua in præce-  
dente *Disputatione* sufficienter, nì fallor, actum est.

*Errores.*

1.

66. *Ultimo.* ERRORES hìc vitandi præcipui sunt. 1. *Illorum,*  
qui in pietatis studio sibi benè esse cupiunt, & Christianam vi-  
tam suave otium, separatum ab omnibus calamitatibus imagi-  
nantur.

2.

67. *Deinde* EPICUREORUM & impiorum hominum, qui  
vel casu homines affligi opinantur, vel calamitates & ærumnas  
piorum à Diabolo & malorum hominum sævitia principaliter  
oriri existimant.

3.

68. *Tandem* HYPOCRITARUM, qui corporis lacerationibus  
& flagellationibus, vel aliis modis sibi calamitates accerunt,  
cum opinione cultus divini & satisfactionis pro peccatis, ut  
sunt hodie *Flagellantes apud Pontificios* & olim *Sacerdotes Baal*, qui  
sodiebant corpora sua; I. Reg. 18. cap. v. 28. &c. Et tantum  
etiam de *Cruce & Calamitatibus*

ECCLESIAE.

In throno Maestatis sit Deo nostro  
La Vs, gLoria & gratia.

F I N I S.





P R O

*Residuarum pagellarum complemento*

*duo haec subsequencia*

E P I G R A M M A T A

*rite adiungo; quorum*

P R I U S

*desumptum est*

*ex*

*Augustissima sententia D. Augustini,*

*sup. Psal. 98.*

*Et cum blandiris Pater es, & cum coedis*

P A T E R es: Blandiris, ne deficiam;

coedis, ne peream.

Quam sic reddo:

*E T cum Blandiris Pater es, Iustissime IOVAM*

*Et Pat eres coedis quando, premisq; CRUCE,*

*Ne fors deficiam blandiris, coedis at I P S E,*

*Ne peream miserâ, perpetuâve nece.*

P O S T E R I U S

*verò*

*de promptum est*

*ex*

*Amoenissimæ consolationis plenissimo,*

*notatuque dignissimo! Apophthegmate,*

D. CC.

D. CYPRIANI

lib. 4. Epist. 4.

Quem Deus diligit, hunc corripit:

Corripit, ut emendet;  
emendat, ut seruet.

Quod sic verto.

Quem Deus, excelsâ residens super aetheris aula,  
Qui blando Patris nomine gaudet, amat.

Hunc vario rerum tentat discrimine, multis

Corripit & flagris, multimodâq; CRUCE,

Corripit, emendet, sapienter ut omnia Vita

Sphalmata, perpetuâ sphalmata digna Nece.

Emendat vita turpissima sphalmata, vitam

Ut redimat, seruet, perpetuoq; beet.

I. F. V. S.

Fides In Nomine Iesu Salvat.



99 A 6935

ULB Halle

005 360 463

3



TA 700









PARTITIONVM  
 Theologicarum  
 DISPUTATIO XXXV.  
 De  
**CRUCE ET**  
**CALAMITATIBVS**  
 ECCLESIAE,

*In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wittebergensî proposita*

PRÆSIDE  
 M. IACOBO MARTINI  
 Professore publico:

*Respondente*  
 JACOBO SEIDEX: Uratislaviensî  
 Silesio.

*Ad diem 6. Decemb. Horis locor<sub>3</sub> consuetis.*  
 Sumptibus Clementis Bergeri  
 Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

